

Handwritten text on the spine of the book, likely a library or collection identifier.

Small white label on the spine of the book.



INDEX MATERIARUM
ALPHABETICUS.

	no.
De Accidentalium jure.	9.
Ad rem jure.	17.
Antichretico pacto.	19.
Estimatorio contractu.	20.
Alterutro.	25.
Adione Confessoria.	27.
Adione Pauliana.	28.
Adioe injuriarum sacerdot.	36.

Besoldiam supplementum.	1.
Befazung's Recht.	3.
Bibliopolis.	5.
Bibliopogis.	5.
Befolzung's Greiflich.	10.
Beneficio separatis bonor.	26.
Boscandi jure.	10.

Chartarijs.	5.
Comendatitij's literis.	10.
convitiandi libidine.	13.
curiosa Justiniana.	14.
contractu estimatorio.	20.
cessante scti Macedon.	21.
contractu impossibilitate.	22.
credulitate.	24.

De Confessoria Adione.	no. 27.
crimine Majestatis.	33.
concupione.	34.
clamore violentie.	35.
civili & canonica denunciatōe.	39.
cogitationis memorabilitate.	41.

Leinzig der Kriegsvölker.	2.	
Damna invita ex ignorantia.	23.	
Delationib.	32.	
Denunciatōe	} civili } canonica } Evangelica	39.
Difcury Novellari.		

Leinzig's Recht.	4.
Ende Recht.	7.
Evangelica denunciatōe.	39.
Edictu de Alterutro.	25.
Feudo Solari.	11.
Ferijs.	29.

38.

I. N. 7.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

De

OMISSIONE,

Quam

EX DECRETO

MAGNIFICI FACTORUM ORDINIS,

IN FLORENTISSIMA SALANA,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS CHRISTO-

PHORI *Galdners*/

J. U. D. Professor. Publ. Curia Provincialis Sa-

xon. ut & Facultatis Juridicæ & Scabinatus

Assessoris Gravissimi,

DN. PATRONI ET PROMOTORIS SUI

MAXIME VENERANDI,

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure Honores & Privilegia

Doctoralia ritè capessendi,

Benevolo eruditorum examini submittit

CASPAR DANIEL SCHNEIDER,

Hall. Sax.

ad diem 28. Septemb. Anno M. DC. LXXV.

Horis ante- & pomeridianis.

J E N Æ,

Typis JOHANNIS NISL.

DISSELTATIO JURIDICA
MAGNÆ

OMNIS

EXPLICIT

DICTIONARIUS

JURIS

CASPAR DANIEL SCHNEIDER

ad hunc in. spectat. anno M. DC. LXXV.
Hortensius & pomeridianus.

J. E. N. A.
Typis Johannis Neis.





CAPUT I.

De

ONOMATOLOGIA.

Thes. I.



MISSIONEM tractaturus, non omit-
tat observare, illud Imperatoris quavis ce-
dro dignum effatum, quod in *L.2. C. de offic.
praf. Afric.* quasi cynosuram proponit:
Quod nimirum in nomine Domini nostri
Jesu Christi, ad omnes actiones progredi debeamus, & se-
cundum *L.1. C. de vet. jur. enucl.* ita nostros animos ad Dei
omnipotentis erigamus adiutorium, ut neque viribus neq;
nostro ingenio confidamus, sed omnem spem, ad solam
summæ Trinitatis referamus providentiam, & secundum
Limna. de J.P. lib.2. c.2. n.35. Omnes, qui modo mente con-
stant, in rei cujuslibet exordio, ad Numinis opem se con-
ferre debent. Horum ergo admonitionum memor, sub
initio hujus dissertationis peto, ut DEUS Ter Optimus Ma-
ximus, infinitâ suâ clementiâ atque gratiâ mihi assistat, &
ad cœptum opus divinum auxilium concedat, ut cum fru-
ctu & emolumento ad faustum & optatum finem perdu-
catur.

Th. 2. His præmissis omissioni operam daturus, ante
omnia scire debet, unde nomen omissionis descendat, arg.
L.1. ff. de Just. & Jur. Derivatur autem à verbo activo mitto:

A 2

& vo-

& vocabulo præpositivo: ob, abjecta litera b. legitur omit-
to. *Ambros. Calapin. in suo dictionario sub. L.O.*

Th. 3. Derivationem nominis sequitur Synonymia. Est autem verbo omittere Synonymum ac idem significat in jure nostro (1.) Superfedere arg. *L. 66. ff. de evict. vid. ibid. glos. & L. 1. C. de bis qui latron. vel al. crim. re occult. L. 1. C. ut intra cert. temp. quæst. crim. term.* (2.) Nonnunquam deficere significat idem ac omittere arg. *L. prætor. 2. §. item si proponas. 7. ff. de vi bonor. rapt.* (3.) Vocabulum negligere; idem significat ac omittere arg. *L. si quis in conscribendo 29. in f. C. de pact. auth. si vero. C. ad L. Jul. de adulter. L. 1. C. ut int. cert. temp. quæst. crim. ter.* (4.) Deserere atque relinquere arg. *L. milites nostros 31. C. Locat. cond. verb. (ne omisso armorum usu) & arg. L. si is quem 2. C. si reus vel accus. mort. & L. si is 4. C. ad S. C. Turp.* (5.) Dissimulare *L. ult. C. ad L. Jul. de vi publ. & priv.* (6.) Deficere arg. *L. 2. C. de bis qui latron. occult. in verb. distulerit.* Desistere etiam significat à omittere arg. *L. 2. C. ut int. cert. temp. quæst. crim. term.*

Th. 4. Considerata Synonymia, veniendum est ad Homonymiam: Sumitur autem vocabulum Omissio sive omittere varie & quidem (1.) in *L. mater 19. ff. de inoff. Testam.* pro Repudiare. vid. ibid. gloss. (2.) Pro langvedine & incuriositate sive pro non attento ac remisso *Terent. in Heaut. inquit: Ubi te vidi animo esse omisso, Calapin. in suo dict. sub L.O.* (3.) Dicitur & de illo, qui lucrum negligit, neq; sollicitus est de acquirendis divitiis. Idem *Terent. in adelph. act. 5. Scen. 3. vers. 44. & 45. verb.* Ut enim metuas, ne ab re sint tamen omissiores paulo (4.) accipitur pro verbo desinere, ut allegatus *Terent. in Phorm. act. 5. scen. 6. vers. 22.* loquitur, verb. omitto proloqui: id est, desino loqui & in *Ev-nuch.* omitto de te dicere. (5.) Pro non expressione sive facti sive verbis id fiat, quæ significatio est hujus loci. CAP.

CAP. II.
De
DESCRIPTIONE, ET
DIVISIONE.

Th. 5.

Definitionem nominis sequitur Definitio rei, quo ordine usi sunt Jcti in *L. 1. ff. de Just. & J. L. 1. ff. de pact. L. 5. §. 3. & 4. ff. de pecul. L. 1. ff. de furt.* Sed cum secundum *L. 202. ff. de R. J.* definitiones sunt periculosa, adeò ut Politici, Oratores & Jcti, in definitionibus, non facilè Logicorum exactis regulis sese obstringant. *Limna. de J. P. lib 3. c. 1. n. 22.* Non vitio dabitur, si & ego hoc in passu aliquid concessæ libertatis mihi decerpam, & loco definitionis omnibus modis absolutæ qualem qualem descriptionem, præsertim difficillima in hac ad tractandum materia, subjiciam. Potest igitur hoc modo describi: Omissio est non expressio alicujus necessarii, quod neque facto, neque verbis, neque interpretatione, neque conjecturis, neque tandem ullâ juris assistentiâ, quoad effectum juris, pro expresso vel præstito haberi potest.

Th. 6. Sed cum Cicero *lib. 1. offic.* Divisionis præteritionem, pro maximo vitio habendam esse autemet, & secundum *Paulum & Accursium in l. 1. ff. de dol. except.* facilius cognoscatur, quod distinguitur, vid. etiam *c. super literis x. de Rescript.* operæ pretium erit, ut amplissima omissionis materia, quæ latitudine suâ, per universum jus se diffundit, in suas differentias & species dividatur. Dividitur autem generaliter in mandatam, prohibitam, permissam, necessariam, & conventionalem.

A 3

Th. 7.

Th. 7. Mandata est vel juris Divini, vel humani: Juris Divini est, quando illud omittitur, ad quod omittendum, quis ex mandato DEI tenetur, v. g. si quis omittat homicidium, furtum, adulterium, aut proximum quali quali modo circumvenire, uti ejusmodi omissionis species in Decalogo sacro continentur. Humani juris est; quando quid lege, vel ejusmodi præcepto, quod legis vim obtinet, mandatur quid omittendum, qualiter fit in *L. quemadmodum originarios 7. C. de agricol. & censit.* ubi mandatur ommissio emtionis earum rerum, quæ sunt prohibitæ. Item in *L. Cornelia 5. §. eadem pœna 10. ff. de injur.* ubi mandatur ommissio pro palationis, emptionis & venditionis famosi libelli. *vid. etiam Reces. Imper. August. Vind. de An. 1567. §. Darin/* **nen auch in dieser Ordnung/verb. Setzen/ordnen und wollen hieraus.** *Decretum Spirens. de Anno 1570. §. Wiewohl auch auff etlichen wenigen Reichstä/* **gen.** *Ordinat. Polit. Francof. de Anno 1577. Tit. 35 §. und setzen/ordnen und wollen wir.* Plura exempla videri possunt in *L. consulta Divalia 23. C. de Testam. L. 4. C. ad L. Jul. repet. l. 11. §. 1. & L. 13. in princ. C. de advocat. divers. jud.*

Th. 8. Prohibitiva ommissio iterum est vel juris Divini, vel humani, Divini: v. g. si quis omittat opera charitatis erga proximum, quæ etiam diebus feriatis secundum effatum Salvatoris nostri *Luca 14.* non sunt omittenda, v. g. sanare, misericordiam erga egenos atque pauperes exercere. Humani juris exemplum potest videri in *Novel. 57. c. 7. sub fin.* Ubi prohibetur; si pro salute publicâ bonum opus cœptum fuit, ut omittatur; sed ut potius absolvatur & ad optatum finem perducatur. Huic autem juri prohibitorio nullo modo ne quidem cum juramento efficaciter renun-

renunciari potest *Gloss. in L. à Divo Pio 58. verb. actionem, ff. de ritu nupt. & in L. 1. in f. C. ne fidejuss. dot. dentur. Carpz. in J. F. p. 2. const. 13. D. 1. n. 9.* Plura exempla possunt videri in *L. 5. C. de religios. & sumpt. fun. L. 1. & 2. C. si cont. jus. vel util. pub. vel pec. mend. fun. imp. item L. Nam ita Divus 39. ff. de adopt. L. de crimine. 10. C. ad L. Jul. de adult.*

Th. 9. Permissa seu arbitraria est: quæ nudo alicujus arbitrio & voluntati relinquatur, & nihil interest, an exprimat aliquid annon, e. g. si quis ea omittat, quæ in favorem alicujus introducta sunt, sic omissa exceptio SCti Vellejani, conditionem indebiti soluti non impedit, cum sit in favorem mulierum introducta *L. qui exceptionem 40. ff. de condiçt. indeb. L. si fidejussor 29. ff. mandat. Text. in L. si judex 41. ff. de minorib. Habn. ad paratit. Weserb. Tit. ad SCt. Vcll. videatur etiam L. 16. C. de fideicom. libert.* Item si quis ea omittat, quæ vel naturaliter, l. tacitè insunt conventioni vel dispositioni, sic: licet in emtione & venditione, evictionis nulla fiat mentio, nihilominus tenetur venditor ad evictionem præstandam, quia tacitè & naturaliter inest contractui emtionis venditionis arg. *L. si fundus 28. C. & L. si per imprudentiam & L. 60. ff. de evict. L. 66. ff. de contrab. empt. & quæ tacitè insunt pro expressis habentur, arg. L. deportatorum 8. C. de pæn.* Item: si ab alterâ parte contrahentium omissatur conditio & impletio contractus, tunc alteri etiam promissionem omittere & à contractu recedere permittitur arg. *L. cum te fundum 27. C. de pact. int. empt. & vend. comp.* Simili modo & ea nonnunquam dicitur permissa quæ fit per dilationem, vid. *L. si vindicari 20. C. de pæn.* Item, quando dies interpellat pro homine, tunc tutò creditor admonitionem omittere potest arg. *L. magnam legum. 12. C. de contrab. & committ. stip.*

Th. 10.

Th. 10. Necessaria ommissio est & dicitur, quando quis per impossibilitatem, vel vi coactus, aliquid omittere necesse habet v. g. in puncto accusationis, quando reus mortuus est, tunc accusator litem persequi non potest, licet de illa persequenda, cautionem præstiterit, arg. *L. si is quem 2. C. si reus vel accusat. mort.* quod allegatum tamen exemplum sic limitatur: quod nimirum non procedat in accusatione criminis læsæ majestatis, in quo crimine, etiam post mortem rei accusator institutam accusationem persequi necesse habet, eum in finem, ut convicto reo, memoria ejus damnetur, & bona successoribus eripiantur. vid. *D. 6. 7. 8. C. ad L. Jul. majest.* videatur etiam *L. in delictis 3. ff. § L. 4. C. de noxal. action.*

Th. 11. Conventionalis ommissio est; quando quis per stipulationem, vel aliam conventionem promittit & se obligat, ad hoc vel illud omittendum. Hujus ommissionis exempla videantur in *L. si stipulatus fuero 11. ff. de V. Obl. L. 56. ff. de contrab. empt. § L. f. C. si mancip. ita ven. ne prost. L. eadem dicemus. 4. ff. de V. Obl. § L. ult. C. de pact. int. empt. § vend. comp.*

Th. 12. Porro distinguitur ommissio ratione causæ efficientis in Dolosam arg. *L. quicquid tutoris. 7. C. arbit. tut. Carpz. p. 3. const. 33. D. 12. n. 2.* Culposam arg. *L. 53. §. 1. ff. de evict. L. 13. §. 2. ff. de contrab. empt. arg. L. tutor qui repertorium 7. ff. de admin. § peric. tut. L. 53. §. 1. ff. de evict. L. ad commentariensem 4. C. de custod. reor. L. si servus. 4. C. de noxal. act. vid. Philip. Tract. de Subhast. cap. 2. com. 9. n. 5. & Eroneam L. 8. C. de collat.*

Th. 13. Ratione formæ distinguitur ommissio (1.) in veram & fictam arg. *L. si ita stipulatus 126. §. f. § L. si homo mortuus 69. ff. de verb. Obl. L. 1. inf. C. de condict. ob caus. dat.*

dat. L. cum patremfamilias. 2. C. de condit. insert. tam leg. quam fideicom. L. fundus ille 64. ff. de contrab. empt. c. ff. x. de condit. appof. in dispens. Ubi conditiones turpes & impossibiles, pro non adjectis sive omissis, quoad effectum juris habentur. (2.) In integram & partialem arg. L. 51. §. 4. ff. de eviction. arg. L. cum hi. 8. §. si prator. 17. ff. de transact. (3.) In continuam & procrastinatam sive dilatoriam arg. L. 5. §. ult. C. ad L. Jul. majest. L. si vindicari 20. C. de pen. & arg. L. cum reis 18. & L. 21. C. eod. & arg. L. juris gentium 7. §. 5. ff. de pact. L. 4. C. ad L. Jul. repetund. L. si quis forte 6. verb. magis esse provisos ff. de pen. & c. 1. verb. si proclamare. x. de frigid. & malefic.

Th. 15. Ratione materiae distinguitur omisio in Literalem arg. L. 6. §. ult. ff. de bonor. poss. L. 40. ff. de testam. milit. L. inter eos 33. ff. ex quib. caus. major. in integ. rest. L. 15. C. de Testam. milit. nov. 73. c. 6. verbalem arg. L. Gallus. 29. §. 2. ff. de liber. & posthum. hered. instit. arg. L. cum ostendimus 4. §. f. ff. de fidejussor. & nominat. Sensualem arg. L. Duo sunt Titii 32. ff. de testam. tutel. & favorabilem sive privilegiatam arg. L. Titio centum 71. ff. de condit. & demonst. arg. L. si judex circumscripto 41. ff. de minorib. Carpz. p. 2. const. 12. D. 15. n. 2. & const. 14. D. 6. n. 7. item p. 3. const. 4. D. 38. n. 8. Item arg. d. L. cum ostendimus 4. §. f. ff. de fidejuss. & nominat. & argum. L. 16. ff. de fideicom. libert. Castrens. cons. 119. n. 2. verb. quantum ad secundum.

Th. 16. Ratione finis distinguitur omisio in captiosam arg. L. ea que commendandi causa 43. §. 2. ff. & arg. l. quod sepe 35. §. ult. ff. de contrab. empt. L. qui libertatis 69. §. sed etsi quis 5. ff. de evict. L. 1. 2. & 4. C. de crim. stellionat. Lucrosam arg. d. L. 4. C. de crim. stellionat. L. tres fratres 35. ff. de pact. L. domum emi 57. §. 1. ff. de contrab. emt. Affectuosam arg. L. 66.

B

ff. de

*ff. de contra empt. & vend. & Reverentialem arg. l. 91. ff. de
de furt.*

CAP. III.

De

CAUSA EFFICIENTE.

Th. 17.

Nunc ratio instituti efflagitat indagare causas, ex quibus se primo offert efficiens, quæ iterum vel est remota, vel proxima, vel instrumentalis: Ad primam referri potest occasio vel contrahendi, vel stipulandi, vel exequendi arg. *l. 3. ut intra cert. temp. quest. crim. terna. l. 1. mna. de J. P. lib. 3. c. 9.* Ad proximam pro ratione substrata materiae & circumstantiarum referri possunt, dolus, culpa, ignorantia, error arg. *l. patris. 10. ff. de prescript. verb.* Et quæ porro his sunt similia. An Instrumentalem referri possunt modi, quibus omisio committitur, horum, quamvis pro diversitate materiae & circumstantiarum plurimi sint & esse possint, sufficiat tamen pro nunc potissimos in jure nostro fundatos referri.

Th. 17. Committitur autem omisio (1.) per patientiam arg. *l. 51. §. 2. ff. de evict.* (2.) per taciturnitatem sive silentium arg. *l. ult. C. ad senatuscons. turp.* (3.) per occultationem arg. *l. 9. C. ad L. Jul. de vi publ. & l. 1. C. de his qui latron. occult.* (4.) Per dissimulationem arg. *l. f. C. ad L. Jul. de vi publ. & priv. l. 1. 2. & ult. C. de crim. stellion.* (5.) per celationem arg. *l. 69. §. 5. ff. de evict. & l. 5. §. ult. C. ad L. Jul. majest.* (6.) Per mendacium arg. *l. 17. §. 20. ff. de adilit. edict.* (7.) Per suppressionem arg. *l. tutor qui repertorium. 7. ff. de admin. tut.* (8.) Per Interversionem arg. *l. 14. C. ad L. Corn. de fals. l. tres fratres 35. ff. de pact.* (9.) per Fictionem

nem

nem arg. L. 15. C. ad L. Corn. de fals. & L. 4. C. de bis qui sib. in
testam. adscrib. & L. 5. eod. (10.) per sub- & obreptionem.
arg. L. f. C. de fals. mon. c. dudum 44. verb. insuper X. de elect.
& c. super literis 20. & cap. postulati 27. x. de Rescript. (11.)
per negligentiam arg. d. L. finalis C. de Fals. mon. (12.) per
acquiescentiam *Glok. cons. 49. vol. 3.* (13.) per ambiguitatem
sive obscuritatem arg. L. f. C. de contrab. empt. quando ex-
pressum tam obscurum est, ut exinde mens contrahentis
sive disponentis, non nisi divinatione colligi possit, arg. L.
que in testamento. 2. ff. de his que pro non script. hab. (14.) per
affectationem sive proterviam arg. L. si traditio 4. C. de act.
empt. & vend. L. 3. C. ut int. cert. temp. quest. crim. ter. (15.)
per procrastinationem sive dilationem arg. L. 5. §. ult. C. ad
L. Jul. majest. L. 20. C. de pen. & L. 18. eod. & d. L. si traditio. 4.
C. de act. empt. & vend. (16.) per nonimpletionem arg. L. 27.
C. de pact. int. empt. & vend. comp. (17.) per poenitentiam
arg. L. contractus 16. in f. C. de fid. instrum. L. 14. C. locat. con-
duct. L. si judex circumvento 41. ff. de minor. (18.) per non u-
sum arg. L. si obligat a pradia 19. & Gloss. C. de evict. (19.) per
reticentiam arg. L. ult. C. creditor. evict. pig. non deb. L. 66. ff.
de contrab. empt. & L. 43. eod. L. si servus 61. §. quod vero 5. ff.
de furt. (20.) per collusionem arg. L. quisquis cum militibus
5. §. 6. C. ad L. Jul. majest. L. 15. C. ad L. Corn. de fals. Et hi præ-
dicti modi infra in cap. 7. ex effectibus dilucidius pate-
scent.

CAP. IV. DE FORMA.

Th. 18.

Dictum fuit supra in cap. 2. th. 5. quod nimirum illud ve-
rè & propriè omissum sit & dicatur, quod nulla ratio-

B 2

ne,

ne, nullis conjecturis, nulla interpretatione, & nulla denique assistentia juris, quoad effectum juris, pro expresso haberi possit, hinc sequitur è contrario, si quid jus vel consuetudo quoad effectum juris pro expresso habet vel habere consuevit, quod tum vitium omissionis purgetur, quod cum variis modis contingat, & prolixam deductionem & demonstrationem desideret, demonstratio autem nulla melior sit, quàm quæ ex contrario defumitur, contraria enim juxta se posita magis elucescunt *L. 1. ff. de his qui sunt sui vel alien. jur.* & vis omnis maxime posita sit in contrariorum resolutione, non incommodè usque ad cap. 8. agens de contrariis, prolixa hæc tractatio seponitur.

CAP. V.

MATERIA SIVE OBJECTO.

T. 19.

AD Objectum referuntur (1.) Facta (2.) Jura & eorum processus (3.) Conventiones sive contractus. Diximus, quod omissionis objectum sit factū: Quid autem sit omittere aliquid, quod in facto consistat, per se patet, nec prolixâ demonstratione opus habet, quare ad secundum objectum, nempe ad jura & eorum processum convertendum erit.

Th. 20. Jus autem est vel scriptū, vel non scriptum: Illud constituitur vel per modum legis, vel Recessu, vel statuti, Omissio v. circa has species juris, est vel sensualis; si nimirum mentem legislatoris colligere non possumus, provenit autem ejusmodi omissio vel ex nimia obscuritate, vel nimia, subtilitate, quæ obscuritas secundum *L. 12. ff. de contrah. & committ. stipul.* in veteribus legibus sæpius deprehenditur,
cum

cum tamen in legibus magis simplicitas, quam difficultas amplectenda sit, §. 7. *J. de fideicom. hered. vel verbalis*; quando nimirum deficiunt verba necessaria arg. *L. prator. 2. §. 7. ff. de vi, bonor. rapt.* Quod & accidit, quando in lege plus dictum & minus scriptum sit, tunc enim sententia magis quam scriptura ponderanda venit, vel denique fit ommissio rationis istius legis, vel causæ finalis.

Th. 21. Si verò aliquis casus in his legum speciebus omissus est, adeò ut neque per rationem, neque per verba, neque per sensum casus omissus decidi possit, tunc ad jus non scriptum sive consuetudinem recurrendum est, quia si lex non inveniatur, vetustas vicem legis obtinet *L. 1. §. denique 23. ff. de damn. infect. add. L. 20. ff. de servit. pred. Urb. L. 1. 2. §. 7. C. de servitut. §. aq.* Fit autem ommissio circa consuetudinem per interruptionem, quia debet esse continua non interrupta *Carpz. p. 2. const. 3. D. 21. §. 22.*

Th. 22. Consideratâ ommissione juris, consideranda venit etiam illa ommissio, quæ committitur in juribus prosequendis, sive processu juris. Processus autem est vel civilis vel criminalis, in utroque autem processu committitur ommissio, vel circa substantialia & essentialia, vel circa accidentalia. Et quidem circa substantialia, vel ab Actore, vel à Reo, vel Judice: Nam hæ tres personæ iudicium constituunt: Ab actore committitur ommissio si v.g. omittatur libellus, vel licet porrigatur libellus, si sit vitiosus, quod fit, si omittantur necessaria libelli, ut e. g. si omittatur nomen rei, vel narratio facti, vel petitio sive iusta conclusio, vel sit adeo obscura & adumbrata narratio, ut neque Judex, neque reus sanum sensum exinde percipere possit, tunc enim sensus omissus dicitur, atque à reo exceptio inepti vel obscuri libelli opponitur.



Th. 23. Ex parte rei committitur omisio, si v.g. liti contestationem aut penitus omittat, vel facit quidem contestationem, sed tam obnubilatam, & completam, ut in effectu etiam pro omisâ haberi necesse sit. Vel si porrò exceptiones tam dilatorias, quam peremptorias concessio tempore opponere intermittat, & quæ sunt his similia, quæ omnia enarrare prolixitas materiæ non permittit.

Th. 24. Judex incurrit omissionem si v.g. omittat citationem adversarii five rei, cum tamen citatio ad fundandum judicium omnium maximè sit necessaria: Item si non observet solennia, si v.g. sententia contra solitum judiciorum ordinem prolata sit, & tunc auctoritatem rei judicatae non obtinet *L. 4. § 6. C. de sentent. & interlocut. om. jud.* vel si judex ipse omiserit sententiam recitare, vel si sine scriptura recitet, quia sententia ab omnibus iudicibus, tam arbitris quam necessariis, in scriptis ferri & recitari debet *L. 1. § 3. C. de sentent. ex peric. recit.* quod tamen limitatur: quod non procedat in causis brevibus personarum vilium, ubi iudici licitum est, absque scriptura sententiam publicare *auth. nisi breves C. de sentent. ex peric. recit.* Porrò committit omissionem Judex, si sententiam omittat conformare libello, v.g. si peratur in libello res, quæ præstari potest, & ipse adjudicet interesse *L. f. c. de fideicom. libert.* Hinc Judex in sententionando, tam super principali quam accessorio, si nimirum in iudicium fuerit deductum, debet pronuciare & nihil omittere.

Th. 25. Quâ occasione quari potest, si v.g. Judex in sententionando accessorium omiserit, num ista sententia de jure subsistat? cum enim regula juris sit certissima: sententiam super toto eo, quod in iudicium deducitur, feren-

ferendam esse, *Myns. cent. 2. obs. 53. in f. Dd. in l. f. ff. famit. exercisc. § l. 1. C. si advers. rem jud. Vantius de nullitate ex def. proc. n. 90. Jacob. Menoch. de arbitrar. jud. lib. 2. cent. 7. casu 93. n. 27.* Resp. quod ponderatis circumstantiis, & pro substrata materia, nonnunquam subsistat, vid. *Vant. de nullitate ex def. proc. n. 10.* idque procedit (1.) si incompatibilitas intervenit, v.g. si litis contestatio tantum super principali five capitali facta fuerit, tunc processus ad ulteriora cum accessoriis non compatiuntur, at quando pronuntiatio super principali, se cum alio articulo non compatitur, tunc per transitum ad ulteriora, is punctus à Judice reprobatus intelligitur. *Crabr. Rom. lib. commun. conclus. Tit. de except. reg. 1. fallent. 7.* (2.) si sententia in rem judicatam transivit, quia exceptio rei judicatæ semper obstat, quoties inter easdem personas eadem quaestio revocatur *l. Julianus 3. l. si quis 7. §. si ancillam §. generaliter, §. l. cum queritur §. cum LL. seq. de except. rei jud.* Porro quæri potest. Num in concursu Creditorum, præsertim in Electoratu Saxonie, soluta sorte s. capitali, creditores etiam usuras petere possint, si in sententia non sint præterita vel omissa? Resp. distinguendo, usuræ enim debentur aut nudo officio judicis, quod nullam obligationem præsupponit *l. qui per collusionem 49. §. 1. ff. de act. emt. §. vend. aut ex stipulatione l. quamvis. 3. C. de usur.* Priori casu, si debitor in eas condemnatus non sit, posteâ peti non possunt, Textus expressus & capitalis est in *l. bona fidei. 13. c. de usur.* Ubi Alexander Imperator ait, si iudicium sententiâ finitum est, non adjectis usuris, finita retractanda non sunt *d. l. qui per collusionem 49. §. 1.* Posteriori verò casu usuræ peti possunt *l. 1. c. de judic.*

Th. 27. Porro quæri potest, quid tum statuendum

¶



si fors & usuræ uno libello cumulatae, & petitae sint, Judex autem super sorte pronunciavit tantum, eaque sententia res judicata facta sit? Quanquam tali modo petitio usurarum concedenda non videatur, tum, quia judex earum mentionem non faciendo, ab iis curatorem absolvisse videtur, quemadmodum in fructibus petitis, sed in sententia omisis, quibus usuræ comparantur. *l. usurae 34. ff. de usur. Wesenbec. cons. 99. n. 13. Guido Pap. dec. 405. Costald. in l. qui per collusionem 49. §. 1. ff. de act. empt. & vend.* Et ita judicasse Senatam pedemontanum, testatur doctissimus *Thesaurus dec. 135.* Sed hoc non obstante, contraria sententia defendi potest, nim. disting. Num actum fuit bonæ fidei judicio, tunc alio judicio nequaquam peti possunt, quia cum usuris & fructibus eam conditionem habet, quod in actionibus bonæ fidei, separatim peti non possint, quia sunt rei principalis accessio, hinc sequitur, quod finito judicio principali, nec fructus nec usuræ tanquam accessoria peti possint; Secus verò est, quando usuræ debentur ex stipulatione, quia tali casu usuræ sunt res alia, & aliâ propriâ & peculiari actione petuntur, ergo rei judicatae præscriptio obstare non potest. *l. de eadem 5. §. an eadem 5. l. si quis ad exhibendum 18. ff. de except. rei jud.* Nec quicquam obstat, quod judex usuras silentio præterierit, quod ego enim mea mihi cautione & vigilantia quæro, id mihi judex auferre nequit, jus enim vigilantibus scriptum est, & ideo quia favet vigilantibus, & cavet ne damno afficiantur, neve quid his auferatur in eo, quo sibi vigilaverint & tempestivè prospexerint. *l. 3. ff. de separat. arg. l. quod autem 6. §. sciendum 7. & l. pupillus 24. in f. ff. que in fraud. cred. gest.* Et huc non parum facit **Torgawisches Ausschreiben de Anno 1583. Tit. von wucher**
cher

cherlichen Contrácten und Partiten *in f.* ubi disponi-
tur ita. Jedoch wenn eines Schuldners Güter so weit
nicht zureichen / daß die Gläubiger alle ihres ihm vorgese-
ten Geldes davon befriediget werden könnten / oder do es
gleich endlichen zureichete / wegen der Zinsen ehe die vergnüs-
get würden / die Hauptsumme weit zurück gesezet werden
müßte / sol man auf solchen Fall / von ausgeliehenen Geldern /
auf keine Zinsen / sondern allein auf die *liquidirte* Haupt-
summe sprechen / wenn aber dieselben abgelauffen und bezah-
let / und es würde alsdenn noch etwas übrig seyn / mag von
denselbigen auch die Zinse den Gläubigern / nach eines ieden
habenden Rechten und prioritát zu erkennen. Hic enim in-
fertur, judicem tacendo de usuris in sententia, non cen-
seri debitorem ab iis absolvere. Deinde, ut maximè senten-
tia super sorte duntaxat lata sit, & in rem judicatam trans-
ierit, non ideò tamen creditores prohibentur sortibus ex-
solutis, usuras promissas de residuo petere. Cum enim
impossibile sit, ut intra decendium sortes pariter exsolvan-
tur & usurarum quæstio moveatur, quandoquidem & di-
ctiones illæ: **Wenn aber dieselben abgelauffen** / item
und es würde alsdenn &c. tractum temporis &
magnum intervallum, quod inter exsolutionem summæ
capitalis, & usurarum petitionem intercedit, in se conti-
net.

Th. 28. Supra thes. 22. hujus capituli diximus, quod
Actor vitiū omissionis, circa processum juris committat,
si in libello aliquid omittat, cujus occasione reddatur ine-
ptus & vitiosus. Quæritur ergo: Num super his, quæ in
litem non sunt deducta, id est, in libello omissa, postea arti-
culi probatorii possint confici, & an Judex eos recipere te-
neatur? Pro negativâ hujus quæstionis adduci potest (1.)

C

quod

quod Judicis potestas non possit se extendere ad id, quod in judicium non est deductum, Textus est expressus in *L. ut fundus. 18. ff. Com. divid. item gloss. in c. cum ecclesia sutrina. 13. X. de caus. poss. & propriet. (2.)* ea, quæ post litis contestationem accidunt, in nulla sint habenda consideratione, arg. *L. non potest venire 23. ff. de judic. & arg. cap. ult. X. ut lit. pend. nib. innov. (3.)* quia probationes libello congruere debent, *Mynsing. obs. 81. num. 1. cent. 4. (4.)* Sententia debet esse conformis actis & petitis, alioquin nulla putatur *Vant. ex defect. proces. num. 87. & 88. Myns. dicta observ. 81. num. 1. cent. 4. (5.)* quod informatione articulorum, communis illa doctrina: quod videlicet propositæ actionis natura sit inspicienda, & quæ actori incumbunt ad intentionem fundandam, in probatione diligenter consideranda sint, debeat observari, *Monald. conf. 81. num. 2. in fin. Berenh. Muscatel. in nova prax. Neapol. p. 5.* Sed quanquam hæc omnia ita se habeant, tamen benè considerandum venit, quando aliquid pro alieno & impertinente habendum sit: Secundum communem autem Doctorum opinionem, Impertinentes articuli sunt, qui neque directò, neque per indirectum, vel quoquo modo causæ in libello deductæ, adminiculantur, *Gail. lib. 1. obs. 81. num. 4. Pacian. de probat. lib. 1. cap. 5. num. 21.* priori ergo modo, judex non tenetur recipere, secus verò posteriori. Quid verò si Judex dubitet an pertinentes sint an non, tunc aut admittat simpliciter, aut cum clausula salvo jure &c: Etsi enim plerique velint, admissionem vel rejectionem, tali casu, ab ipsius arbitrio pendere, Tutius tamen aget judex, si in dubio recipiat, cum securum magis sit superfluum admittere, quàm necessarium omittere, *Specul. de posit. §. 7. num. 4. 5. 6. 7. 8. ubi num. 9.* Judicem admonet, ne sit præceps in rejiciendis positionibus *Gail. d. obs.*

obs. 81. num. 9. 10. & 11. Mascard. de prob. vol. 1. concl. 132. num. 5.
Gvid. Pap. dec. 347. num. 1. ratio rationis est, quod ita decide-
re benignius sit, benignior autem interpretatio semper sit
admittenda, L. proximè 3. ff. de his, quæ in testam. del. L. beni-
gnius 18. ff. de LL. L. semper in dubiis ff. de R. J. Deinde quia
hæc admissio cum clausulâ salvo jure, partibus minus est
præjudicialis, semper autem convenit eligi ea, quæ utri-
que parti non sunt damnosa, L. ex his inf. ff. quæ in fraud.
cred. Cravet. cons. 23. num. 9. part. 1. Bonif. Ruger. cons. 7.
vol. 2. Et quod denique res hæc faciat ad accelerandam li-
tem, multis enim disputationibus cavillosis, hoc modo oc-
curritur.

Th. 29. Hic etiam non inconcinnè quæri potest,
quid statuendum, si reus exceptionem peremptoriam, tam
ante litem contestatam, quam post litem contestatam, op-
ponere omittat, num illam postea post definitivam senten-
tiam opponere possit, & an Judex ejus rationem habere
debeat? sed ut clariùs hæc quæstio pateat, ponamus ex-
emplum in puncto emptionis & venditionis, v. gr. si vendi-
tor ad traditionem rei venditæ conventus, neque sub ini-
tio, neque in processu causæ, opponat exceptionem pretii
non soluti, sed suâ sponte, litem super libello exhibito, con-
testetur, & ad ulteriora procedat, quæritur an judicium va-
leat, ita, ut condemnatio ad traditionem rei venditæ, fieri
possit? Videtur dicendum, quod sic: ratio, quia (1.) Judex
judicare debet secundum allegata & probata, L. illicitas
6 §. veritas. 1. ff. de offic. presid. & arg. cap. 2. X. de offic.
jud. ordinari. (2.) quia ad hoc, ut judicium procedat, suffi-
cit, quod emptor venditori non petenti pretium, moram
non faciat, arg. L. diversum est, 2. §. quod ait prætor. 1. ff. quod
legator. L. 1. C. de his, quæ sub mod. leg. Gail. lib. 1. obs. 17. num. 6.

quemadmodum (3.) in simili, in usufructuario receptum est, qui etiam ante præstitam cautionem, si proprietarius eam non petierit, fructus suos facit, *d. l. diversum est, 2. §. prator ait, arg. L. uxori 24. ff. de usu & usufr. leg. Dec. cons. 607. num. 2.* (4.) quia regulariter peremptoria post definitivam non potest opponi. *L. peremptorias 2. C. sentent. rescind. non pos.* Sed his non obstantibus, placet contraria sententia, quia, quod de peremptoria dictum est, debet intelligi de ea peremptoria, quæ contra sententiam opponitur, hoc est, quæ eam oppugnat: Nam hoc fieri non potest secundum *d. l. peremptorias*, Exceptio verò pretii non soluti, sententiam non oppugnat, neque eam iniquitatis, aut injustitiæ arguit, sed contra actionem opponitur, & executionem respicit, & ideò etiam in executione admitti debet. *L. ex diverso. 17. §. f. ff. solut. matrim. quemadm. vid. glos. ibid. in verb. in solidum arg. L. Neseñnius 41. §. f. ff. de re jud. Dec. cons. 119. num. 2. Text. in L. si fidejussores 41. §. f. ff. de fidejuss. Accurs. in L. 1. C. de jur. & fact. ignor.* Hinc est, quod exceptio compensationis, quando debitum est liquidum, post sententiam, in executione opponi possit, per *Text. in L. 2. C. de compensat. & in L. si cum militi, §. 1. ff. eod.* ratio est, quia compensatio non impugnat sententiam, sed eam potius confirmat, eo, quod compensatio, sit quædam solutio, & sic pars executionis, per textum notabilem in *l. si debitor. 4. ff. qui potior in pig. hab. vid. plur. allegata, apud Gail. lib. 1. obs. 17. num. 10. 11. tb. 30.* Porrò potest quæri: Num ex parte rei deductio & probatio, quæ in prima instantia fuit omissa, in secunda vel tertia instantia, debeat concedi? Resp. Quamquam communiter concludatur pro affirmativâ: Est enim hoc beneficium appellantis vulgare, ut non deducta deducant, & non probata probent, per *l. per banc 4. C. de tempor.*

tempor. appellat. & l. eos. 6. §. 1. C. de appellat. Nihilominus tamen, secundum plurimorum opinionem, distingvi debet causa omissionis, utrum omittens sit in negligentia, sine fraude malove proposito, an in malitia, ut protrahat litem & fatiget adversarium, huic ut indulgeri non debet, ita nec hoc tribui, ut appellatio proficiat maligno, arg. *l. in fundo 38. ff. de Rei Vind.* Appellatio enim ad hoc inventa est, ut innocentiae sit praesidium, & gravaminis relevatio, non ut sit malitiae patrocinium *c. ad nostram. 3. & c. suggestum. 15. X. de appellat.* Et praeterea hujusmodi appellationes expressè prohibentur per *Recess. Ratisbon. de An. 1594. §. darumb seßen und wollen swir.* Sed nuda omisso, quae nihil hujusmodi malitiae participat, beneficium *d. l. per banc,* excludere non debet, *Bald. in d. l. per banc, C. de temp. appel. vid. plur. apud David Mevium part. 2. dec. 153. n. 4.*

Th. 31. Constat quod officium judicis, sit vel mercenarium, vel nobile. Illud consistit in cognoscendo & sententionando, de quo, in thesibus praecedentibus per diversas quaestiones tractatum fuit. Hoc autem consistit in exequendo: Utrumque habet locum, tam in civilibus, quam in criminalibus; In civilium executione committitur omisso à Judice, si nimirum ea non observet, quae vel jure scripto, vel consuetudine observare & adhibere debebat, quomodo autem judex in executione debeat procedere, vide eleganter *in l. à Divo pio 15. ff. de re jud.* ubi pluribus à Jcto Ulpiniano demonstratur, quid à Judice hoc in passu faciendum aut omittendum sit. Committitur autem ab ipso omisso, si v. g. tam in pignoris captione & distractio-
ne, omisso juris ordine, procedat, si e. g. in pignorum captione initium faciat à rebus immobilibus, cum adsint mobilia vel se moventia, vel si in moventibus praepostero

ordine sumat ea, quæ valde necessaria sunt debitori ad instruendum fundum, cum tamen etiam alia inveniuntur, quæ minus necessaria sunt, secundum legis ordinem autem ab his, non verò ab illis initium facere debet, vel si postmodum in distractione pignorum, omittat solennia, v. g. taxationem *l. f. c. si in causa jud. pig. Vid. coler. process. exec. p. 3. c. 9. n. 114.* aut licet observetur taxatio, si ad illam adhibeantur imperiti & injurati taxatores, vid. *Mev. p. 3. dec. 53. n. 4. & 5.* vel si omittat citationem rei ad videndum taxari, vel si res captæ, non publicè venales, repetitis *ter* quatuordecim diebus, exponantur, & quæ huic sunt similia, de quibus vid. *Philip. in suo Tract. de subhast. c. 3. com. 1.*

Th. 32. In criminalibus, & quidem capitalibus, omisio fit à judice, si v. g. omissa inquisitione corporis delicti, an illud certum sit nec ne, aut omissis requisitis, quibus certitudo ei exactè cognosci potest, ex nudà rei sive delinquentis confessione, ad pœnam capitalem properet, quanquam aliàs in causis civilibus propria confessio sit fortissima, adeo ut dicatur probatio probata, testium adminiculis non indigens, & præferatur publico instrumento, testiumque depositionibus, & quascunque infringat probationes in contrarium, adeo ut confessus habeatur pro convicto, vid. plur. *Knich. encycloped. cap. 2. n. 1. 2. & seq.* Tamen in criminalibus, confessio absque corpore delicti, nihil probat *P. S. O. car. V. art. 2.* Hinc mortis supplicium irrogare non licet, priusquam de corpore delicti appareat, per *l. 1. §. item illud ff. ad S. Ct. Syllan. arg. l. si per alium §. docere. 2. ff. ne quis eum qui in l. Inde Neratius 23. §. ult. ff. ad l. Aquil. l. 1. §. si quis ultor 27. ff. de question. Modestin. Pistor. part. 3. quest. 117. Ægid. Boss. in pract. crim. Tit. 1. in princ. quia scilicet in potestate alicujus non est, suâ confessione face-*

re de-

re delictum, ubi delictum non est. *Carpz. p. 4. const. 3. D. 16. n. 4.* quia nemo est Dominus membrorum suorum *l. liber homo 13. ff. ad L. Aquil.* Corpus autem delicti constare dicitur, quando oculis subjicitur, & sic per aspectum corporis probatur, ut in parricidiis, homicidiis & similibus *Carpz. allegato loco.*

Th. 33. Non sufficit autem in puncto homicidii, nudum corpus delicti indagare atque invenire, sed si iudex vitium omissionis evitare velit, requiritur præterea, ut ab ipso nō omittatur inspectio vulneris in cadavere occisi, ante omnia enim inspiciendum est, num vulnus fuerit lethale vel non, & si hoc non constat, occisor non punitur pœnâ ordinariâ, quia non solum de homicidio constare debet, sed etiam de omnibus qualitatibus & circumstantiis homicidii, & præcipuè occisum ex percussione, aut vulnere inflictio obiisse, de hoc enim vulnere mortifero si appareat, vulnerans de occiso tenetur, quia tum ex vulnere occisus præsumitur decessisse *Prosper. Farinac. q. 127. n. 10. Nicol. Boer dec. 323. n. 4.* Nec refert, an hoc casu aliqua vis causa obitum promovens supervenerit nec ne, licet vulnerato imperitus aut plane nullus fuerit adhibitus medicus, vel etiam, si malum regimen ipsius vulnerati concurrat, nihilominus tamen, si vulnus lethale aut mortiferum inflictum est, vulnerans de occiso tenebitur, & pœnam ordinariam nequaquam effugiet, arg. *l. qui occidit 30. §. ff. ad L. Aquil. vid. Carpz. prax. crim. p. 1. quest. 16. n. 4. & seq.* Hancque inspectionem & dijudicationem vulneris lethalis, non modò approbat Imperator Carolus V. sed & Judicem, ejusque assessores una cum Actuario, & Chirurgo uno, sive pluribus, si haberi possunt, juratis, cadaver occisi diligenter inspicere, & omnium vulnerum, ictuum, & quo-

quæcunque symptomata accesserint, considerationem accuratam instituere jubet *in artic. 149. ord. crim. verb. Sol Der Richter samt zweyen Schöppen.* Et hinc inspectio cadaveris occisi, veluti pars necessaria inquisitionis, reputatur *Modest. Pistor. p. 4. q. 143. vid. plur. Carpz. d. quest. t. 16. n. 28. 29. 30.*

Th. 34. Non sufficit porrò inspectionem adhibitam fuisse; sed requiritur etiam ut solenni modo fiat, adeo ut nihil ex solennibus à iudice omitti debeat. In præallegato autem articulo *49. Ord. crim. Car. V.* præprimis quatuor requiruntur. (1.) Ut à Iudice & Scabinis simul inspectio fieri debeat, si enim inspectio à solo iudice absque Scabinis facta fuerit, ad pœnam homicidii ordinariam deveniri nequit, quod confirmat *Carpz. in Resp. quodam, quod videri potest in sæpe allegatâ quest. 16. n. 32.* (2.) Adhibentur medici sive chirurgi, hisce enim utin arte medica peritis, credendum est. *Farinac. p. 5. oper. crim. quest. 127. n. 102.* (3.) Ut Chirurgi, sive medici sint jurati, alias ipsis non creditur absque juramento, quia juris indubitati est, quod peritis in sua arte, sive scientia, haud aliter fides habeatur, quàm si jurent saltim de credulitate, *Didac. Covar. lib. 2. variar. resolut. c. 13. n. 4. Nicol. Bæc. dec. 323. n. 24.* (4.) Ut medici sive Chirurgi, una cum Iudice & Scabinis, cadaver occisi diligenter inspiciant & omnium vulnerum, ictuum, omniumque aliorum symptomatum, quotquot accesserint, considerationem accuratam instituant.

Th. 35. Ideoque, ne Iudex ad mitiorem, aut severiorem pœnam decernendam moveatur, accurata debet esse inspectio. Ad quam præterea ex parte medicorum sive chirurgorum requiritur. (1.) Sectio vulneris, ut nempe chirurgi vulnus dissecent. (2.) Consideratio exactissima. vul-

vulneris ejusque qualitatum, aliorumque symptomatum
examinatio. (3.) Assertio certa de vulneris lethalitate. (4.)
Assertionis rationes, quas chirurgi simul indicare & de-
promere debent, quæ jam prædicta requisita etiam adeo
necessaria sunt, ut si deficient, reus poenâ ordinariâ plecti
non possit, quod etiam confirmat Carpz. præjudicio quo-
dam in multoties allegata quæstione 16. n. 43.

Th. 36. Veniendum nunc ad tertiam partem obje-
cti omissionis, quod, sicut supra in thes. 19. hujus capituli
dictum est, constituunt conventiones & dispositiones, cir-
ca utrasque autem fit omissio, vel circa substantialia & for-
malia, vel circa naturalia & consuetudinaria, vel denique
circa accidentalia: Primum committitur, quando forma
sive substantia conventionis sive contractus omittitur e. g.
si in contractu emptionis venditionis, omittatur pretium
vel merx, aut quod loco mercis habetur, tunc omninò i-
ste contractus nullus est, omissio enim formæ nullitatem
contractus inducit, *Glok. cons. 149. n. 206. vol. 3. imò etiã mi-
nimæ partis formæ omissio reddit actum vitiosum arg. l. cum ii. 8. §. si prator. 17. ff. de transact. vid. Philip. Tract. de
subbast. c. 3. com. 2. n. 52. ratio, quia nihil actum esse censetur,
cum aliquid addendum superest l. cum Silanianum 11. C. de
bis qua. ut indig. her. auf. arg. L. quoties 6. ff. qui satisd. cog.*
Et quoties lex plura conjunctim requirit, non sufficit u-
num fieri, sed utrumque impleri necesse est arg. *L. si quis
ita stipulatus 129. ff. de U. O. & L. si heredi plures 5. ff. de condit.
institut. Gail. lib. 2. obs. 19. n. 15.* Nec juramentum formam
intrinsicam & essentialem supplere potest, *c. si diligenti x.
de for. compet. Carpz. p. 2. const. 12. D. 14. n. 9. & p. 3. const. 2. D.
24. n. 6.* Forma enim cujusque rei ut data est, ita etiam ex-
actissimè & ad unguem servanda est. arg. *d. l. cum bi 6. §. si præ-*

D

tor

cor 17. ff. de Transact. l. certa forma 4. C. de jur. fisc. Et omisio
formæ in minimo totum vitiat, forma enim individuum
quid est, ideoque ei nihil, vel minimum detrahi potest,
prout cumulativè refert *Roland. cons. 72. per tot. vol. 3. Da-*
vid. Mev. p. 6. dec. 287. n. 5.

Th. 37. Quæ autem hactenus in thes. præcedente
dicta sunt, intelligenda veniunt, tam de forma, sive solen-
nitate intrinseca, quam extrinseca substantiali, secus verò
de extrinseca accidentali, hujus posterioris omissionis ex-
emplum videre licet apud *David. Mev. p. 6. Dec. 81. per tot.*
De extrinseca verò substantiali bene notandum est, quod
illa nunquam censeatur adhibita, sed semper præsumatur
omissa, ideoque ejus adhibitio semper probari debet arg.
l. quæcumque 13. §. ff. de publ. in rem act. adeo ut licet instru-
mentum dicat accessisse, tamen, sine aliâ fide non sufficiat.
Menoch. de præsump. lib. 3. præf. 132. n. 28. & seq. Coler. proc.
exec. part. 2. c. 3. n. 348. c. g. si quis negat, quod contractus
cum magistratu initus, cum consensu populi fuerit cele-
bratus, licet instrumento dicatur, quod cum consensu po-
puli fuerit celebratus, tunc omnino magistratus eam qua-
litem, quod nimirum tali modo fuerit initus, probare
necesse habet: Nec ab onere probandi relevat, quod si-
gillo civitatis instrumentum fuerit munitum, nisi con-
stet, illud simul sub custodia civium esse, alias eâ facilita-
te à magistratu, cujus sub manu est, apponi poterit, quâ, sine
consensu illo, contractum iniverit. Ut sigillum enim ob-
liget civitatem, oportet tria hæc constare aut probari, (1.)
cujus sigillum sit, (2.) a quo adpositum (3.) quo fine *Felin.*
in c. post cessionem n. 17. x. de probation. Coler. proces. exec. part.
3. c. 1. n. 125. vid. eleg. Mev. part. 5. dec. 384.

Th. 38. Circa naturalia sive consuetudinaria fit o-
missio;

missio ; si ea omittantur, quæ tamen ex ipsius naturâ vel consuetudine, contractui insunt, & hæc omissio non tollit contractum, quia naturalia & consuetudinaria tacite insunt, licet non exprimantur, v. g. si in emptione venditione omittatur evictio, nihilominus tenetur de illa venditor, tanquam si in contractu nominatim fuisset expressa *l. fundus 27. C. de evict. l. quod si nolit 31. §. quia assidua. 20. ff. de adilit. ed. l. semper in stipulationibus 34. ff. de R. J.* Similiter contractui mutui naturaliter inest, ut ejusdem generis & bonitatis reddatur, quod datum est, licet illud in contractu non exprimatur, *l. cum quid mutuum 3. ff. si cert. pet. l. f. §. 2. ff. de contrab. stipul. quia præsumitur actum, quod exprimi solitum, sive consuetudinarium est L. 1. C. de contrab. stipul. c. cum M. Ferrariensis x. de stipulat.*

Th. 39. Circa accidentalia committitur omissio, si quid omittatur, quod neque ad substantiam, neque ad essentiam sive formam conventionis pertinet, & quod salvo contractu adesse vel abesse potest arg. *l. idcirco 12. C. de contrab. empt. & vend. v. g. si conventiones, quæ ex nudo consensu perficiuntur, in scripturam redigantur arg. l. contrahitur 4. ff. de pignor. l. 4. ff. de fid. instrum. l. cum te 5. C. de transact.* quia tunc scriptura, tanquam nudum accidens conventionis sive contractus, consideranda est, ut fit in emptione venditione, & omnibus conventionibus, quæ nudo consensu perficiuntur. Item porro nihil refert, quo loco vel tempore, num die an nocte contractus celebretur, cum nullo tempore consensus excludatur *l. 20. in f. C. de Transact.*

Th. 40. Notandum autem venit, quod omnia, quæ in thes. præcedenti diximus, procedant, nisi ejusmodi accidentia, sub initio conventionis, pro modo sive fine adhibeantur, & ita inter contrahentes sit conventum, sic

v. g. si inter contrahentes sit conventum, ut scriptura pro formâ in contractu adhibeatur, tunc non prius ex contractu oritur jus, nisi scriptura cum omnibus suis qualitatibus fuerit completa, & dum dictatur hæc scriptura, locus est poenitentia, & licitum est recedere, nisi quod arrhae, quæ datae sunt, amittantur vel duplicatae reddantur *pr. Inst. d. empt. vendition. § l. contractus 17. C. de fid. instrum.* Hinc ex eo solo, quod super contractu scriptura fuerit confecta, non videtur contractus celebratus in scriptis, cum plerumque hodie in contractibus conficiatur instrumentum, non ut obligatio in scriptis fiat, sed ut eo facilius veritas probeatur arg. *l. contrahitur 4. ff. de pign. l. 4. ff. de fid. instrum.* In scriptis verò fieri dicitur, quando ab initio statim inter contrahentes actum est, ut in scriptura fieret, hinc contractus perfectus non est, nisi subscriptione contrahentium confirmatus sit, *d. l. contractus.* Si autem in dubio non appareat, quo fine scriptura adposita sit, tunc secundum *Carpz p. 2. const. 33.* potius ad probationem, quàm ad validitatem contractus interpositam fuisse, credendum est.

CAP. VI. DE FINE.

Th. 41.

Absolute Objecto omissionis, sequitur, ut ad finem accessum faciamus. Quemadmodum ergo nihil ab homine suscipitur aut peragitur, cui non certus aliquis finis prius in intentione subnascatur, ad quem postea impetrandum media dirigit, idem & de omissione affirmandum, de qua notandum, quod aliquis omissionem committat vel proposito, vel metu, vel reverentiâ; Propositum autem est vel dolosum, vel affectuosum: Si ex doloso procedat,

dat, tunc fit vel ad lucrum captandum arg. *L. ea, quæ con-*
mendandi causa 43. & l. domum emi 57. §. 1. ff. de contrab. empt.
& vend. vel ad nocendum arg. l. 66. §. 1. ff. de contrab. empt. &
vend. Si verò ex affectuoso proveniat, tunc remoto lucro
 vel damno ad explendos affectus inimicos vergit v.g. si quis
 alicujus omittat titulum legitimum, injuriæ vel contem-
 ptus causâ; Metu autem fit omissio, si propter majus in-
 commodum aliquis quid omittat, quod aliàs de jure
 non cogeretur omittere; hujus exemplum vid. in *c. cum ve-*
nissent. x. de Institut. Reverentiâ fit omissio, cum propter
 honorem vel reverentiam quis aliquid omittit, quod aliàs
 non omisurus esset arg. *L. 91. ff. de furt.*

CAPUT VII. DE EFFECTU.

Th. 42.

Effectus potissimum in eo consistit ut operetur. I. Nulli-
 tatem, quod (1.) fit, si substantia & forma seu solennitas
 intrinseca aut extrinseca substantialis omittantur, uti plu-
 ribus in thes. 36. capituli quinti demonstratum fuit. (2.) Si
 sententia omisâ citatione proferatur, nulla enim major
 nullitas est, quam si contra non citatum & inauditum, sen-
 tentia feratur *Cothm. respons. 33. n. 69. vol. 4. David. Mev. part.*
2. dec. 294. n. 6. & p. 1. dec. 112. n. 10. & p. 3. dec. 112. n. 5. l. 1. C. de sen-
tent. & interloc. om. jud. Sic (3.) in donatione insinuationis
 omissio vitiat & annullat donationem, quoad legitimam
 excedit summam *L. 34. & 35. C. de donat.* (4.) Si omisâ sen-
 tentiâ capta & distracta sunt pignora, & quæ tali modo
 distracta sunt, possunt exceptione nullitatis revocari *l. 58.*
ff. de re jud. (5.) Si Judex ordinem in sententionando omit-
 tat *l. prolatam 4. C. de sentent. & interloc. om. jud.* (6.) Omis-

D 3

fo



sio veritatis in supplicatione annullat rescriptum Principis
l. 1. & 2. C. si contra jus vel util. publ. & l. f. C. eod. Et hæc est
omissio, quæ fit per modum sub- & obreptionis, cuius men-
tionem fecimus supra in cap. 3. th. 17. vid. etiam *l. f. C. de fals.
mon.*

Th. 43. II. Operatur præsumptionem doli, quod
fit (1.) si quis solennia omittat, contra enim omittentem
solennia dolus præsumitur arg. *l. tutor qui repertorium. 7.
& l. ad commentariensem. 4. C. de custod. reor. Philip. Tract.
de subbast. cap. 2. com. 9. n. 5.* quod tamen limitatur, nisi ista
solennia, in favorem alicujus introducta sint, arg. *l. 40. ff.
de condict. indeb. l. si iudex. 41. ff. de minori. Castrens. cons. 19.
n. 2. verb. quantum ad secundum lib. 2.* (2.) Si quis omittat
persequi, quod persequi potest, aut si quis omittat exigere,
quod exigere potest arg. *l. dolus. 44. ff. mand. Item (3.)* Si quis
litis denunciationem omittat, arg. *l. si fundo. 53. ff. de coact.*

Th. 44. III. Inducit inoffensionem, quod fit si quis omittat
aliquid prohibere, quod prohibere potest, & in ipso
potestate etiam est, ut possit prohibere, qui enim patitur,
quod ipse prohibere potest, ipse fecisse dicitur arg. *l. 3. & l.
seq. ff. de noxal. act. l. adigere. 6. ff. de jur. patronat. l. quid ex
go 13. §. 1. ff. de his qui notant. infam.* Et hæc est species omis-
sionis, quæ fit per modum patientiæ. Secus verò est, si
prohibere non potest. *L. 50. ff. de R. J.*

Th. 45. IV. Operatur læsionem conscientiæ, quod
contingit, non observando, sive omittendo ultimam de-
functi voluntatem, quæ non potest omitti contra conscien-
tiam læsam *l. 5. C. de religios. & sumpt. fun.*

Th. 46. V. Inducit obligationem. Hinc tutor
vel curator, non solum tenetur de damno illato sive causa-
to, sed etiam de lucro omisso, *l. 7. C. de arbit. tut.* Item, si
tutor

tutor cessaverit in distractione earum rerum, quæ tempore depereunt, suum periculum facit, debet enim partibus suis fungi, non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoriâ cunctatione *d. l. qui repertorium §. 1. ff. de adm. & peric. tut.* Item tutor pro contutore tenetur, si eum suspectum facere omiserit *d. l. qui repertorium §. f.* Et non solum civilem obligationem, sed etiam criminalem inducit. arg. *l. 1. C. de fals. mon.*

Th. 47. VI. Inducit Renunciationem juris vel beneficii competentis, quod fit (1.) per omissionem exceptionis, hinc licet lex vel statutum dicat, quod aliquis non possit de jure compelli ad aliquid, debet intelligi, si nimirum utatur legitimis suis defensionibus, vel excusationibus, secus verò si omittat hanc exceptionem opponere, quia tunc beneficio suo renunciasse videtur arg. *l. quod placuit. 2. C. de excusat. veteranor.* Hinc fit, quod post susceptam administrationem se frustra quis excuset arg. *l. 2. C. si tut. vel cur. falsi allegat. exc.* quod enim non allegat pars, non attendit iudex *David. Mev. p. 2. dec. 376. n. 6.* (2.) Potest fieri per divisionem actionis sive obligationis, quæ adversus aliquem in solidum competebat, v. g. si creditor ab uno ex pluribus fidejussoribus, qui divisionis beneficio renunciarunt, virilem portionem recipit, & unum ex illis in solidum convenire omiserit, deinceps reliquos non nisi pro ratâ convenire potest *c. si creditores 18. C. de pact. Carpz. p. 2. const. 17. D. 11.*

Th. 48. VII. Inducit remissionem juris vel actionis. Sic (1.) censetur remissa injuria, quæ non statim vindicatur, vel ad animum revocatur, dissimulatione enim extinguitur arg. *§. f. de injur. l. non solum 11. §. 1. ff. eod.* aut si (2.) Injuria vindicari incipiatur, postmodum verò deseratur
& re-

& relinquatur, *Gail. lib. 2. obs. 105. n. 3.* Et omissa semel vindicta ex causa novae injuriae, repeti nequit, remittentibus enim actiones suas non est dandus regressus *l. queritur 14. §. si venditor 9. ff. de edilit. Edict. arg. l. 17. §. 1. ff. de usur. vid. plur. apud Mev. p. 5. dec. 370. & 371.* Sic (3.) si usurae dotis a marito non sunt petita, post mortem ejus ab ipsius haereditibus haud exigere possunt, quia tum tacite remissae ac donatae intelliguntur, *l. vir usuras 54. ff. de donat. int. V. & U. & l. cum quidam 17. §. Divus pius ff. de usur. Carpz. p. 2. const. 42. D. 22.*

Th. 49. VIII. Operatur praeclosurem: quod accidit (1.) in concursu creditorum, qui post praeclosurem liquidandi viam postmodum non audiuntur, licet veritas & jus crediti adsint vid. *Mev. p. 3. dec. 48.* Sic (2.) non facta litis denunciatione reus non habet regressum ad suum authorem *l. 1. & l. si quis alterius 2. C. ubi in rem act. exerc. l. in fundo 53. §. 1. ff. de evict.* Hinc (3.) post terminum praeterlapsum probatorium non admittitur postmodum probatio, nec juramenti praestatio, quod enim intra certum tempus fieri debet, postea censetur prohibitum *l. Thais 41. §. praeterea 12. ff. de fideicom. libert. l. 2. C. de pact. int. empt. & vend. comp.* Paria enim sunt, lapsu temporis vel renunciatione excludi arg. *l. 1. §. quibus 10. ff. de successor. ed. Carpz. p. 2. const. 1. D. 8.* Quae autem omnia procedunt, nisi justa causa impedimenti adfuerit, vel si adversarius contra eam non excipiat, quia non infrequens est, ut ea quae propter lapsum termini, vel aliam quamcunque legis prohibitionem, fieri non possunt, si tamen, adversario non contradicente, fiant, minime improbantur, vid. *Carpz. p. 1. const. 12. D. 18.*

Th. 50. IX. Inducit illiquidum sive obscurum, quod fit, si quis in obligatione sive instrumento, causam debiti
expri-

exprimere omittat, tum enim nihil probat, nec paratam executionem habet arg. *l. 13. C. de non num. pec.* & semper huic instrumento exceptio doli mali opponi potest arg. *l. 2. §. 3. ff. de dol. mal. except.* in tantum, ut solutum exinde condici atque repeti possit vid. plur. apud *Carpz. p. 1. const. 17. D. 39. l. qui sine causa. 3. ff. de condict. indeb.*

Th. 51. X. Inducit suspicionem falsitatis, quod accidit (1.) si quis v. g. omiserit exhibere testamentum, sed illud celavit vel amovit, is enim crimen falsi committere dicitur, qui hoc omittit. arg. *l. eum qui 14. C. ad l. Corn. de fals.* (2.) si quis diu omiserit vel cessaverit accusare, tum tarda accusatio, falsam accusationem actoris, & innocentiam rei arguit, Text. in *l. si quis fortè. 6. ff. de pen.* cui concordat *c. 1. verb. quod si proclamare x. de frigid. & maleficiat. Cravet. conf. 76. n. 9. Menoch. conf. 221. n. 44. & in præsumpt. lib. 5. præsum. 48. n. 16.* Et hæc est omissionis species, quæ fit per modum procrastinationis, (3.) Falsitatis etiam aut perversitatis suspicionem inducit, ommissio eorum, quæ ad formam, jure vel consuetudine requiruntur, e. g. si inventarium non est legitimè, vel solenniter confectum, vid. *Mev. p. 7. dec. 50. n. 7.* Vel si (4.) creditor in alterius præjudicium fingat se priorem in tempore, vel sibi solutum non esse, cum sit, in pœnam falsi incidit, licet de conscientia debitoris fecerit. *L. si creditor colludens 15. C. ad l. Corn. de fals.* aliud exemplum videri potest in *l. jubemus 29. in f. C. de testam.*

Th. 52. XI. Operatur præscriptionem tam in civilibus quam criminalibus, in civilibus, si quis omittat v. g. interpellationem judicialem *l. 13. ff. pro epmt.* vel omittat contradicentiam arg. *l. si aquam 2. C. de servitut. & aqua.* Et hæc omissionis species committitur plerumque vel per modum patientiæ vel per modum acquiescentiæ, vel si-

E

len-



lentie. Incorporalia enim, quæ sunt mera facultatis, non possunt præscribi, nisi contradictio scientia & patientia interveniant. *Glok. conf. 149. n. 52. vol. 3.* In criminalibus etiam per silentium præscribuntur delicta, vid. *l. 12. C. ad L. Corn. de fals. l. 5. C. ad L. Jul. de adult.*

Th. 53. XII. Inducit culpam, v. g. si quis omitat consuetum, *Glok. conf. 149. n. 323. vol. 3.* Et hinc consuetudo excusat à culpa & poena *Rauchb. quest. 10. n. 64. Gæden. conf. 108. n. 16. Bertich. concl. 25. n. 121. p. 4.*

Th. 54. XIII. Causatur Appellationem, quia ob omissum processus ordinem justa est appellatio, etiam si causa, & summa alias non sit appellabilis, quia maximum exinde gravamen partibus infertur, quod fit, v. g. si probatio exceptionis, alias regulariter à reo facienda injungatur actori, & ita judicatum fuisse testatur *Mevius p. 1. dec. 77.* Ad judiciorum autem ordinem pertinet, non confundi discernenda arg. *l. liberis 7. §. ff. de liberal. caus.* qui enim excipit, probare debet, quod excipit *l. si pactum 9. ff. de probat.* In exceptionibus enim reus actoris partes fungitur, ideoque intentionem suam adimplere debet *l. in exceptionibus 19. ff. eod.* Sed bene notandum, quod hoc in casu, tale discrimen observari debeat, utrum ea, quæ in processu dicuntur omissa, saltem figuram solennitatemque meram processus concernunt, & meritis partium & causæ non præjudicant, an præter ista etiam ad hæc pertineant, aut ob ea omissa & non ritè adhibita, meritis causæ, aliquid detrimenti atque præjudicii subnascatur: Quæ sunt prioris generis in judicio appellationis minimè curantur vid. *Gail. lib. 1. obs. 75. n. 5. & seq. Mynsing. p. 4. obs. 62.* At, cum quæ posterioris generis sunt, narrantur, appellatio recipitur, quæ autem talia sunt, judicium arbitrio relinquenda sunt, nec definiri possunt

sunt nisi expensis causæ, status, partiumque meritis, simul ad ista oppositis, tunc enim perspicere licet, quæ in processu omissa sive neglecta dicantur, & quantum partibus exinde nocumentum subnatum sit, quod ut judici inter gravamina ob oculos ponatur, appellantis maximè interest, & ad diligentiam advocatorum pertinet, exempla hujus omissionis videri possunt apud *Mynsing. cent. 5. obs. 92. & cent. 6. obs. 6. n. 9. & apud Mev. p. 1. dec. 78. per tot.*

Th. 55. XIV. Operatur amissionem juris, beneficii, privilegii, actionis. arg. *l. 53. §. 1. ff. d. evict.* Accidit autem hoc, vel per non usum, vel per abusum: Illo modo, si quis v.g. jure, beneficio, vel privilegio non utitur, sic per non usum amittitur ususfructus, quem quis habet arg. *§. f. J. de usufr. & ibid. Schneidvv. n. 7.* Sic intra decennium, per non usum amittuntur nundinæ *l. 1. ff. de nund.* Sed limitatur quod precedat, si nimirum quis suo privilegio vel jure non sit usus voluntariè, utpote quia potuit, sed noluit uti, secus verò si ob necessitatem, vel non evenientem occasionem, usus non sit. Nam tali casu, quia nulla negligentia culpa non utenti imputari potest, privilegium non amittit, etiam si eo, ultra hominum memoriam, vel mille annos non sit usus. Ubi enim nulla est negligentia, ibi non debet esse pæna vid. plur. limitat. apud *Gail. lib. 2. obs. 60. Limna. de J.P. lib. 3. c. 9. n. 64. & Mev. p. 8. dec. 256.* Abusus autem committitur, per omissionem refractariam sive malitiosam. Hinc etsi per jus collegii, quod opifices in civitate habent, competat illis jus prohibendi operas, aliis, collegio ipsorum non incorporatis, tamen hoc non aliter procedit, quam si ipsimet has operas civibus præstent vid. *Mev. comment. ad Jus Lubecens. lib. 4. Tit. 13. art. 13.* Ubi verò hoc recusant, non possunt indignari, si aliis permittatur, quod

ipsi non faciunt, magis enim civium ratio habenda est, quam ipsorum, quia ipsis ideò jus collegii datum est, quo civibus usui sint. Hinc abutentes jure collegii, non immeritò amittunt illud, Indigni enim sunt legis beneficio, qui in eam peccant *l. 1. §. 1. ff. qui pet. tut.* Nec à lege auxilium debent habere qui legem non servant, *l. auxilium 37. §. 1. ff. de minorib.* Et abusus juris in aliorum noxam, meretur privationem ut ordinariam pœnam arg. *§. f. & ib. Fab. Schneidovv. & alii. F. de his, qui sunt sui vel alien. jur.* Et ejusmodi pœnam amissionis juris, vel privilegii, collegiis opificum, ob abusum saepe inflictam, & judiciis supremis approbatam fuisse, testatur *Mevius p. 2. dec. 157. n. 7.*

Th. 56. XV. Inducit injuriam, v. g. si quis alicujus honestum titulum omittat ex contemptu, quia ejusmodi omissio est honoris detractio *Bart. in l. non solum 11. ff. de injur. Mev. dec. p. 5. dec. 259. n. 4.*

Th. 57. XVI. Causatur nonnunquam famosum libellum, si nimirum nomen authoris supprimitur, secus verò si nomen subscribatur, quia tunc pro scripta injuria istud delictum censendum est, nec pœnâ ordinariâ famosi libelli punitur *Ord. crim. Car. V. art. 110. Hartm. Pistor. obs. 180. n. 1. Carpz. p. 4. const. 44. D. 3. n. 4.*

Th. 58. XVII. Inducit ratihabitionem & consensum arg. *L. f. ff. ad Sct. Maced.* Hinc silentium super eo, quod in alicujus præjudicium vergit, pro consensu est & obligat, arg. *L. qui patitur 18. & ibid. Gloss. & Dd. ff. mand.* hinc etiam per silentium inducitur consensus. *Mev. p. 5. dec. 398. n. 2. & p. 6. dec. 124. n. 7.*

Th. 59. XIX. Operatur pœnam e. g. Judex punitur, si crimen probatum distulerit, aut omiserit aut impunitate donaverit vid. *l. servos 8. C. ad L. Jul. de vi publ. & priv. l.*

3. C.

3. C. de repulchr. viol. vid. etiam l. 1. in f. C. de fals. mon. l. 1. C. de bis latron. occult. Item si quis magistratus, omisso Principis nomine, tantum suum nomen operi publico inscribat, tunc in Principem committit, & poenâ criminis majestatis punitur l. si quidam judices 10. C. de operib. publ.

Th. 60. XIX. Tandem inducit etiam & operatur confessionem, tacens enim in judiciis pro confitente habetur. *Mev. p. 7. Dec. 238. n. 5.*

CAP. VIII. DE CONTRARIO.

Th. 61.

EXhactenus dictis demonstratum est, quid sit omissio, & circa quod versetur, qualesque effectus producat, nunc veniendum est ad contraria. Superius autem in cap. 5. th. 19. dictum fuit, quod omissio versetur circa facta vel jura, vel conventiones. Hujus autem contrarium quod in facto dicitur omissum, potest esse Præstitum. Idque vel verè vel virtualiter, verè fit; quando nimirum quis facit, & actualiter vel reverà præstitit, ad quod præstandum vel faciendum obligatione vel naturali, vel civili tenetur e.g. si quis promissa servat, & revera præstat, quod promisit, vel si conditionem actualiter implet. Virtualiter vero constituitur præstitum: quando fictione, sive imputatione juris, pro præstito sive facto, quoad effectum juris habetur, licet revera non sit factum, v. g. si per illud stet, cui ad præstandum vel faciendum obligatus sum, quo minus fiat vel præstetur tunc quoad effectum juris, pro præstito habetur, textus expressus & capitalis est in *l. jure civili 24. ff. de condit. & dem. l. in jure civili 161. ff. de R. J. l. quero 54. §. inter locatorem 1. ff. locat. cond. l. Labeo 50. ff. de contrab. empt. ratio;*

E 3

quia



frustrà legis auxilium implorant, qui in eam committunt
*l. auxilium 37. ff. de minor. l. cum fundum 63. ff. de pact. vid.
Mey. p. 8. dec. 173.* Sic: qui patitur, quod prohibere potest,
ipse fecisse dicitur, licet reverà omiserit *l. 3. cum LL. seqq. ff.
de noxal. act. arg. l. adigere jurejurando 6. ff. de jur. patron. l.
quid ergo 13. ff. de his qui not. infam.*

Th. 62. Et hæc de primo membro objecti, nunc ad
reliqua duo membra nimirum ad jura & conventiones, est
deveniendum. Quorum contrarium est Expressum, quod
enim exprimitur pro omisso haberi non potest. Expres-
sum verò, quoad effectum juris, non solum hoc dicitur:
quando verbis clavis, & perspicuis, mens & voluntas ho-
minis vel legis exprimitur, sed etiam id, quoad effectum
juris, pro expresso debet haberi, quod per bonam conse-
quentiam & assistentiam juris, tanquam expressum colli-
gere licet, quod, cum per varios modos contingere possit,
operæ pretium erit, ut præcipuos atque in jure fundatos
adducamus.

Th. 63. I. Pro Expresso habendum est, quod tacitè
inest, vel legi, vel contractui, tacitè autem inesse dicuntur,
quæ sunt vel de natura vel consuetudine contractus, hinc
(1.) de evictione tenetur venditor, licet non sit expressa in
instrumento contractus emptionis, quia evictio est de na-
tura ipsius contractus, & hinc pro expressa habetur, arg.
*l. 66. ff. de contrab. empt. l. si in venditione 6. de evict. l. si fun-
dus 27. C. eod. l. quod si nolit 31. §. quia assidua 20. ff. de adilit.
Ed. l. semper in stipulationibus 34. de R. J.* (2.) Semper ta-
citè inest contractibus, clausula hæc: rebus sic stantibus &
in eodem statu manentibus, ideoque hæc clausula, semper
pro expressa habetur, licet reverà in contractibus omissa
sit arg. *l. si unquam. 8. de revocand. donat. c. quemadmodum*

24. Et ibi notat. gloss. X. de jusjur. l. quaso 54. §. inter locato-
rem. 1. in f. ff. de V. Obl. arg. l. si convenerit 14. ff. pro soc. l.
cum quis 28. in princ. ff. de solut. Mantic. in Tract. de tacit. Et
ambig. convent. lib. 2. Tit. 4. n. 90. Et 91. Et hæc regula sive
clausula extenditur, ut locum habeat, etiam si conventio
fuerit jurejurando confirmata c. quemadmodum. x. de ju-
rejur. l. ult. ff. qui satisd. cog. Nam conventiones, etiam
jurejurando confirmatæ, quantumvis generales, non ex-
tenduntur ad casus incognitos & inopinatos, Mantic. alleg.
loc. n. 93. Hinc deducitur, quod si quis promiserit, ali-
quem non offendere, intelligitur, si causam offendendi
non dederit arg. l. qui servum 96. ff. de V. Obl. Hinc si quis
promiserit, non venire contra contractum, sub certa pœ-
na, intelligitur, nisi justa causa superveniat, quæ à princi-
pio verisimiliter à contrahentibus non fuit cogitata. Tira-
quell. in d. l. si unquam. 8. n. 1. C. de revocand. donat. e. g. si
quis partem bonorum suorum donaverit, & promiserit
sub certa pœna, donationem non revocare, & postea libe-
ros suscepit, certè impunè poterit revocare donationem,
Mantic. allegat. loc. n. 95. Et 96. videantur ibidem plura ex-
empla (3.) Quando tacitè sic actum esse intelligitur, etiam
pro expresso habetur licet in scriptura non contineatur.
vid. l. nec emptio. 8. §. 1. in verb. final. ff. de contrab. empt. l.
fistulas. 78. eod. Sic (4.) fortuiti casus, quoad evictionem,
tacitè excipiuntur, licet non exprimantur, arg. d. l. fistulas
§. 3. Et l. Lucius Titius. 11. ff. de evict. Aliud exemplum tacitæ
exceptionis videatur in l. cum in vendit. l. 3. ff. de evict. (5.) Sic
tacitè excipiuntur ab evictione, onera alicujus rei, s. fundi,
& hinc non necesse est, ut exprimatur eorum exceptio, quia
res transit cum suo onere arg. l. 75. ff. de evict. l. 3. C. de distr.
pign. l. cum venderer. 29. ff. de contrab. empt. Nec obstat, li-
cet verba in instrumento contractus ponantur: quid und
frey

und frey ohne einige Beschwerbe / quia ea formula vendi-
tionum vulgaris est, & nunquam pro eo sensu usurpari so-
lita, ut vendita ab oneribus publicis immunia faciat, is au-
tem verborum intellectus prævalet, qui convenit commu-
ni loquendi usui arg. *l. cui dens. 11. ff. de adilit. Ed. c. quam-
vis. 9. x. de V. S.* deinde non in potestate privatorum est, talia
pacta, in præjudicium reipublicæ, quæ talia onera impo-
suit, conficere vid. plura apud *Men. part. 3. dec. 180.* Sic
porrò (6.) tacitè oppignorata sunt, invec̄ta & illata in loca-
tione, licet eorum oppignoratio non exprimatur *L. item
quia. 4. ff. de pact.*

Th. 64. II. Pro expresso habendum est, ubi eadem
ratio militât, licet verbis non contineatur, Omissum e-
nim nullo modo dici potest, in quo eadem vel similis ratio
locum habet, arg. *L. 32. ff. ad l. Aquil. l. à Titio 108. ff. de V.
Obl.* Etiam si verba legis deficient. *l. non dubium 5. C. de ll.
l. 2. §. si mater 23. ff. ad SC. Tertull. l. si quis adulterium. 33. §.
l. 1. §. incidit. 13. ff. ad SC. Turpil.* usque adeò, ut in omni-
bus illis casibus, in quibus eadem ratio militat, & exprima-
tur verbis expressis, non dicatur fieri extensio, sed illi casus
omnes secundum proprium intellectum, sub illa lege sive
constitutione comprehendantur *Cyn. in l. singulos. 8. ff. de
LL. l. nominis §. rei 6. ff. de V. S.* Hinc vulgo dicitur si non
habemus legem expressam, sufficit ratio, Lex enim dicitur
omne id, quod in ratione consistit. *c. consuetudo distinct. 1.*
Et quod per se rationabile est in perfectum jus deducitur
*l. 1. C. de latui libert. tol. Besold. tract. de orig. & dign. Duc.
Ital. n. 348.*

Th. 65. III. Pro expresso habendum est, quod per
Relationem habetur pro expresso arg. *l. si in sententiis 59.
ff. de re jud. gloss. in l. asse toto 77. ff. de hered. instit. l. hac ven-
ditio*

ditio 7. §. *bujusmodi emptio* 1. ff. de *contrab. empt.* Paria enim sunt, aliquid specificè exprimere & nominare, vel per relationem ad aliud indicare, arg. *l. ait prator* 5. ff. de *re jud. arg. d. l. asse toto* 77. & *l. institutio talis* 10. ff. de *condit. institut.* Carpz. p. 1. const. 1. D. 3. n. 6. & *l. 3. C. de sentent. qua sin. cert. quant. l. in testamento* 27. ff. de *condit.* & *dem. l. si non designata* 3. C. de *fals. caus. adject. leg. vel fid.* Relatum enim inest referenti, adeò ut dispositio referentis talis & tanta sit, qualis est relati, neque extendatur referentis dispositio ultra id, quod in relato continetur, arg. *l. si ita scripsero* 38. & *ibi Bart. & Bald.* ff. de *condit.* & *dem. d. l. ait prator* 5. §. *si judex* ff. de *re jud. l. Theopompus* 15. ff. de *dot. præleg. l. à filio* 15. §. 1. ff. de *aliment. leg. l. cum pater* 79. §. *ab instituto* & *ibid. gloss.* ff. de *legat. 2. l. super rebus* 15. C. de *contrab. empt.* Dec. conf. 47. n. 1.

Th. 66. IV. Pro expresso habendum est, quod fictione juris, pro expresso habetur e.g. si quis sponderit ædificare Insulam, cum moreretur, impossibilis veteribus videbatur hæc stipulatio, sed ita intelligendum est, ut factum, quod mortis tempore facere promisit, hæredes ejus adimpleant, quasi speciali hæredis mentione factâ, licet hoc minimè fuerit expressum, per textum manifestum in *l. f. §. 1. C. de contrab. & comitt. stipul. l. 24. ff. locat. cond.* Sic porrò exceptio, quæ in contractu omiſsa fuit, per fictionem juris pro expressa habetur in *l. obligatione 6. ff. locat. cond. l. si mihi Mevia* 92. §. *bis verbis* 1. ff. de *legat* 3. Sic etiam fictione juris pro expresso habetur, v.g. si in contractibus arrhæ data sint, ut aut amittantur, aut duplicatæ restituantur, licet de illis inter contrahentes nihil expressum fuerit *l. contractus* 17. in *f. C. de fid. instrum.* Sic simili modo, si tempus, intra quod fundus locatus fuerat, sit exactum atque præterlapsum, & in eadem locatione condu-

F

ctor



Et or permanferit, tacito confenfu, per fictionem juris, eandem locationem una cum vinculo pignoris renovatam fuiffe videtur *l. 16. C. locat. cond.*

Th. 67. V. Pro expreffo habendum eft, quod confuetudine pro expreffo habetur arg. *l. circa locationes 19. & Gloss. ib. C. locat. cond.* confuetudo enim immenfam habet poteflatem *Signorol. in conf. 82. n. 6. & in conf. 138. n. 6.* & omnium rerum domina dicitur & maxime verborum. Ideo in tacitis & ambiguis conventionibus, ex confuetudine cujusque regionis, optima colligitur interpretatio. arg. *l. minimo. 5. ff. de LL.* Quamobrem fi non apparet quid actum fit, id fequi debemus, quod in regione, in qua id actum eft, frequentatur *l. femper in ftipulationibus 34. ff. de R. J.* Et illud infpiciendum eft quod plerumque fieri confuevit, *l. in obfcuris 114. ff. de R. J. & c. infpicimus. x. de R. J.* Nam contractus fecundum confuetudinem debet intelligi, ut notat *Bald. in d. l. femper. n. 3. ff. de R. J. & in l. fi prius. 17. §. 1. de aqua plu. arc. & in l. magistratus. n. 2. ff. ad municip.* Et inter contrahentes tacite actum intelligitur, quod fieri confuevit, *l. quod fi nolit. 31. §. quia affidua 21. ff. de edil. ed. & l. ult. C. de fidejuffor.*

Th. 68. VI. Pro expreffo habetur, quod verifimile eft, licet non verbis exprimat: Nam in ambiguis & obfcuris conventionibus femper quod verifimile eft, fequimur *l. in obfcuris 114. & l. femper 34. ff. de R. J.* Ubi enim eft verborum ambiguitas, quod actum eft, fervatur, id eft, quod tacite actum effe probatur, illud vero tacite actum intelligitur, quod actum fuiffe verifimile eft, *Soz. Sen. in l. ubi eft verborum 21. n. 1. ff. de reb. dub. Mantic. in tr. de tacit. & ambig. convent. lib. 3. t. 1. n. 12.* Quare femper infpicitur, quod credibile eft actum effe *l. 4. C. quæ res pign. obl. pos. l. f. §. 1. C. de contrab. & committ. ftip.* Et fi verifimile eft, hoc vel illud inter contrahentes fuiffe actum, fequimur, licet non exprimat *l. cum ex pluribus 97. ff. deolut. l. fi is cui nummos 94. in f. eod.* Et hoc argumento, à verifimili, utitur Papinianus in *l. cum pater. 77. §. pater. 9. ff. de legat. 2.* qui ait verifimile non effe: patrem interponi ftipulationem voluiffe, qua filia poft primas nuptias indotata conftitueretur, & *Julianus in l. fi debitor 39. §. 1. ff. de empt. & vend.*
Et Pau-

Et Paulus in l. *quæso* 54. §. *inter locatorem* 1. ff. *Locat. cond.* Et hoc quidem argumentum à verisimili, in qualibet materia receptum esse scribit Everhard. in loco à verisimili Et Dec. in *conf.* 18. n. 29. lib. 1. Itaque omissum illud dici non potest in quo eadem vel similis ratio locum habet arg. l. *fideicommissa* 11. §. *si cui* 11. ff. *de legat. 3.* l. *mulier* 22. ff. *ad SCt. Trebel.* Hinc illud etiam in contractibus pro expresso habendum est, de quo si contractantes fuissent interrogati, ita verisimiliter respondissent, arg. l. *tale pactum* 40. §. *pater* ff. *de pact.* Et arg. d. l. *quæso* 54. §. *inter locatorem* 1. ff. *Locat. cond.*

Th. 69. VII. Illud etiam in conventionem, vel dispositionem, pro omissis non habendum est, si finis sive causa finalis exprimat, propter quam dispositio vel conventio fuerit hoc vel illo modo constituta atque inita, & hæc causa finalis, vel claris verbis exprimitur, vel per consequentiam colligitur: Priori modo si exprimat, cessat omnis scrupulus dubitationis l. *pactum ejus* f. ff. *de hered. instituend.* arg. L. *ille aut ille* 25. §. *cum in verbis* 1. ff. *de legat. 3.* l. *continuus* 137. §. *cum ita* 2. ff. *de V. Obl.* quanquam plerumque causa expressa pro finali reputetur, arg. d. L. *pactum ejus* præsertim si in præmio sive præfatione ponatur d. l. *Mant.* in *Tract. de tacit.* Et *ambig. convent.* lib. 3. *Tit. 12. num. 29.* Cum vero ratio non reperitur expressa, si unica reddi potest, etiam habetur pro expressa, arg. l. *fundus qui locatur* 24. ff. *de instruct. vel instrum.* leg. l. *tale pactum* 40. §. *ult.* ff. *de pact.* L. *si mater* 3. C. *de institution.* Hinc causa finalis contrahentium imprimis debet observari, arg. L. *cum hi* 8. §. *vult igitur* 8. ff. *de Transact.* l. 2. C. *de condit. ob causam dat.* Et hinc vulgò dicitur: cessante causâ cessat effectus arg. l. *adigere*, 6. §. *quoties* 2. ff. *de jure patronat.* l. *liberorum* 11. ff. *de his qui not. infam.*

Th. 70. IIX. Nonnunquam etiam expressum est & dicitur, quod ex contrario sensu colligitur. Hinc inquit Paulus: si prætor unum ex pluribus judicare vetat, cæteris id committere videtur, l. *ait prætor* 12. ff. *de judic.* ratio, quia unius inclusio est alterius exclusio, & vice versa. Hinc ille casus etiam omissus dici non potest, qui ex defectu causæ, sive rationis finalis, per contrarium colligitur, v. gr. si interpa-

trem puellæ & generum convenerat, ut in matrimonio sine liberis defunctâ filiâ, dos patri restitueretur, id actum per contrarium sensum inter contrahentes intelligitur, ut liberis superstibus, filiâ defunctâ, dos non restitueretur. *l. inter Socerum 26. §. cum inter 2. ff. de pactis dotalibus.* Unde pari modo procedit, si maritus convenerit, ut liceat sibi uti & frui pactis dotalibus, si uxor prædeceserit sine liberis, per contrarium sensum censetur expresse renunciare usufructui, in casu quo illa prædeceserit superstibus liberis. arg. *d. l. inter socerum & d. §. quo argumento utitur Bero, cons. 140. n. 13. & 15. lib. 2.* ubi dicit quod iste intellectus, qui sumitur per contrarium sensum, dicatur expressus, vel saltem quoad effectum juris habeatur pro expresso; Hinc quod statuitur in uno, per argumentum à contrario sensu, videtur in alio locum habere non posse, quia tacite intelligitur contrarium esse dispositum *Bald. in cons. 182. n. 4. vol. 1.* Et hoc argumentum fortissimum esse dicit *Carpz. pract. crim. p. 1. quest. 26. n. 9.*

Th. 71 IX. Illud etiam pro expresso habetur, quod exprimitur verbis æquipollentibus. Ubi enim ad certum actum explicandum, verborum solennitas præfixa non est, sufficit exprimere conceptum & effectum rei, licet non exprimantur propria verba actui illi conformia, verba enim intentioni servire debent & non è contra. text. singularis in *C. humana aures qu. 5. & in c. in his. X. de V. S.* Secus vero si certa solennitas requiratur, *L. 1. ff. §. de V. Obl.* hic sententia definitiva debet continere vel condemnationem vel absolutionem *L. 1. ff. de re jud.* sufficit tamen, si sententia contineat verba æquipollentia, eundem effectum demonstrantia. *Bart. in d. l. 1. n. 4. & in L. in sententiis 59. ff. de re jud. Et Gail. obs. 2. n. 6. lib. 1.* Ubi dicit, si in sententia dicatur: Titium nihil debere, videtur eum absolvere. Plura exempla refert *Curt. Jun. cons. 191. n. 3. & seq. vol. 3.* Et pro regula observandum esse dicit *Gail. alleg. loc.* quod, quando lex vel statutum requirit aliquid expresse fieri, tunc verba generalia, ex quibus necessario illud infertur, sufficiant.

Th. 72. X. Tandem & illud pro expresso habendum est, quod ex æquitate suppletur, arg. *l. cum quidam C. de fruct. & lit. expens.* Et hæc sunt quæ de eleganti & laudabili hac materia, quanquam maturante & fugitivo calamo, in medium proferre mihi licuit, si quid autem humani passus sim, peto ut B. L. ad animum revocet, quod Imperator in *l. 3. §. 13. C. de veter. jur. e-nucl.* inquit: In nullo aberrare, sive in omnibus irreprehensibilem sive inemendabilem esse, divinæ solius non humanæ constantiæ est.

F I N I S.

753282



ULB Halle 3
003 869 857



sb.



FRITSCHE
De Transi
Bibliop
Messe





38.

I. N. 7.

DISSERTATIO JURIDICA
INAUGURALIS

De

OMISSIONE,

QUAM

EX DECRETO

MAGNIFICI FACTORUM ORDINIS,

IN FLORENTISSIMA SALANA,

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS CHRISTO-
PHORI *Saldners*/

J. U. D. Professor. Publ. Curia Provincialis Sa-
xon, ut & Facultatis Juridicæ & Scabinatus
Assessoris Gravissimi,

DN. PATRONI ET PROMOTORIS SUI
MAXIME VENERANDI,

PRO LICENTIA

Summos in utroque Jure Honores & Privilegia
Doctoralia ritè capessendi,

Benevolo eruditorum examini submittit

CASPAR DANIEL SCHNEIDER,
Hall, Sax.

ad diem 28. Septemb. Anno M. DC. LXXV.

Horis ante- & pomeridianis.

JENÆ,

Typis JOHANNIS NISL.